

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.



ΣΥΝΘΕΣΙΣ
DISPVATIO
De exegemate

QUÆSTIONUM
ALIQVOT NOBILIVM
Logicarum & Rhetoricarum

*Consensu inclyti Collegij Philosophici publice propo-
sita, & disputantium censura atque iudicio
subjecta in illustri VVittebergen-
sium Academia*

PRÆSIDE

M. ANDREA TIMPLERO

Stolpensi, Facult. Philos. adjuncto,
Respondente

IACOBO FESCA PVLSNI
censi Misnico, Stipend. Electorali.

*Ad diem 28. Maij in Auditorio minore,
horis à 6. matutinis.*

VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman.

Anno 1608.



39



Magnificis, Nobilissimis, pru-
dentia & virtutis laude præstan-
tissimis Viris,

Dn. IOHANNI GEORGIO

à VV E S E N,

Illustrissimi ac Celsissimi Electoris Saxo-
niæ in Stolpen & Radebergf Praefecto dignis-
simo; nec non in Lohmen/Burgferdorff/
Weiffig/&c. Domino.

Item

Dn. GEORGIO ULRICO

ab Ende/Consiliario Electorali, atque in
Berttelsdorff hæreditario,

Dominis Mecœnatibus & Promotoribus
suis unice colendis,

*Exercitium hoc Philosophicum
testanda debita observantia &
gratitudinis causa*

D. O. D.

Jacobus Fesca
Respondens.



I. QUÆSTIO.

An definitio sit instrumentum Logicum?

Definitionum mentione nihil est in omni disciplinarum genere frequentius, nihil utilius. Ideò opera pretium nos facturos speramus, si nonnullas quaestiones de his moverimus. Occasionem huic primæ quaestioni suggerit potissimum Zabarella, qui tum in alijs locis, tum maximè lib. 3. de methodis cap. 13. negativam sententiam defendere conatur, dum inquit: Conceptio definitionum ad primam pertinet operationem: non est igitur logicum instrumentum; Omnia namq; logica instrumenta sunt discursus à noto ad ignotum, & dicere instrumentum logicum sine discursu, est dicere λογικὸν ἄνευ λόγου & calidum sine calore. Hanc sententiam quò minus probemus, obstant rationes duæ sequentes: 1. Quodcunque ducit nos in cognitionem rei alicujus, illud est instrumentum logicum. Atqui definitio ducit nos in cognitionem rei alicujus: Ergo est instrumentum Logicum. Major nititur definitione Logica, quæ est habitus efficiendi instrumenta cognoscendi verum & falsum. Minor probatur. 1. ratione. 2. autoritate. Ratio sumitur 1. à perfecta cognitione cujusq; rei, quæ in duobus consistit in notitia essentia & notitia priorum accidentium ut testatur Zabarella lib. de tribus præcognitis c. 5. & lib. 4. de methodis cap. 6. Item Aristoteles lib. 1. de anima cont. 3. Hac igitur cognitio perfecta vel solo syllogismo, ac aliqua ejus specie comparatur, vel non solo syllogismo. At verò essentiam & quidditatem rei non syllo-
A 2 gismo

gismo ac aliqua ejus specie posse acquiri passim testatur Aristoteles lib. 6. Metaph. c. 1. lib. 11. c. 7. ubi inquit τῆς ὁρίσεως καὶ τῆς ἐπιπέδου ἐπιπέδου ἐπιπέδου. Idcirco cum nullum aliud sit instrumentum, quod possit nos ducere in cognitionem essentiae, sequitur, solam definitionem esse instrumentum notificandi quidditatem rei. Deinde ratio sumitur à natura questionum analyticarum: Cum enim omnis questio analytica vel sit simplex, vel complexa: & illa rursus quaerit, vel an sit, vel quid sit: hac verò an insit, & propter quam, causam insit: propterea necesse est in Logica tradi instrumenta, quae his omnibus questionibus satisfacere possint: jam verò quoniam tribus quidem questionibus satisfaciat syllogismus & ejus species, demonstratio: questioni autē quid sit nequaquā: necesse est vel dari aliud quoddam instrumentum Logicum, quod tradit cognitionem quid sit: vel definitionem id prestare: Sed cum nullum aliud possit instrumentum dari, manet immotum, definitionem, solam questioni quid sit satisfacere, adeoque nos in cognitionem essentiae ducere.

Autoritas sumitur primò ab Aristotele, qui passim expressè innuit definitionem tradere nobis cognitionem essentiae rei, ut lib. 2 post. cont. 12. ὁ ὁρισμὸς ὁρίσεως τῆς γνῶσεως, definitio est quaedam notificatio essentiae, item cont. 18. ὁ ὁρισμὸς τῆς ἐπιπέδου δηλοῖ definitio quidditatem rei declarat: Item lib. 5. Topic. γνώσεως ἢ τῆς μανθάνειν ἕνεκα τῆς ὁρίσεως ποιῶμεν. Item lib. 6. Top. c. 1. & 3. τῆς γνῶσεως χάριν δὸς δίδεται ὁ ὁρισμὸς cognoscendi (sc. essentiam) gratia assignatur definitio. Et lib. 1. Metaph. πᾶσαι μάθησις καὶ πᾶσαι διδασκαλία ἀπὸ προγνωστικῶν καὶ ἢ δι' ἀποδείξεως ἢ δι' ὁρισμῶν, i. e. Omnis doctrina & omnis disciplina fit ex praecognitis, atque aut per demonstrationem, aut per definitiones.

Secundò autoritas sumitur ab Averroè, qui in commentario c. 42. lib. 7. Metaph. ait, Logicam considerare definitionem, quatenus intellectum inducit ad cognoscendas quidditates rerum.

Tertiò autoritas sumitur ab Alberto, qui in suis commentarijs in Porphyrium tractatu primo dicit, definitionē à Logico esse considerandam, quatenus tradit cognitionem quid est.

2. Ratio

a. Ratio, qua probamus definitionem esse instrumentum logicum, haec est: Si definitio non est instrumentum Logicum, sequitur Logicam esse mancam & imperfectam: neq. rectè à Zabarella lib. 4. de meth. c. 21. posse appellari disciplinam auxiliatricem humani ingenij in cognitione rerum omnium. Ratio consequentia in copulato sumitur lib. 4. de meth. c. 5. quia Logica, ut perfecta dici possit, tradere nobis debet instrumenta, quibus ad omnium eorum, quae quæri aut sciri possunt, cognitionem pervenire possimus: Iam verò cum de rebus aut an sit, vel quid sit, vel an insit, vel propter quam causam insit, quæri possit; necesse est dari instrumenta, quorum beneficio in horum quatuor quæstorum cognitionem possimus pervenire: Quoniam autem præter definitionem neq. divisio, neq. ordo, neq. syllogismus vel ejus species, neq. ullum aliud instrumentum logicum, possit satisfacere quæstioni quid sit: necesse est definitionem esse instrumentum logicum, quod quæstioni quid sit satisfaciat. His ita positis respondemus Zabarella, postulatum ejus nimis magnum esse, quod omne instrumentum logicum conjunctum sit cum discursu, hoc est syllogisticam & necessariam habeat vim inferendi unum ex altero. Id enim cum ratione tum auctoritate Zabarella potest refutari. Ratio est: quodcunque Logica docet efficere, illud est instrumentum logicum. Atqui definitionem logica docet efficere. E. Auctoritas sumitur ex Zabarella lib. 2. de meth. cap. 16. & 17. ubi ordinem tam compositivum, quam resolutivum definit per instrumentum logicum. Item lib. 3. de meth. c. 16 & 17. dicit; duo sunt præcipua instrumenta logica, ordo & methodus, & tamen alibi, ubi methodum ab ordine distinguit, ut lib. 3. de meth. c. 1. & alibi dicit, ordinem nullam habere vim syllogisticam, & necessariam unius ex altero illationem. Hinc igitur ulterius argumentor: Si omne instrumentum logicum conjunctum est cum discursu, sequitur, ordinem non esse instrumentum logicum, quia secundum Zabarellam ordo non habet vim illatricem: Sed ordo est instrumentum logicum secundum Zabarellam. Ergo falsum est, quod dicit, omne instrumentum logicum conjunctum esse cum discursu.

II. QVÆSTIO.

An unius rei una tantum sit definitio?

Aristoteles ejusq; interpretes passim probant unius rei unam tantum esse definitionem. Nam lib. 3. Topic. cap. 5. expressè inquit Philosophus πλείους ὄντων ἐνδέχεται τῆ αὐτῆ ὀρισμὸς εἶναι, i. e. non contingit plures esse ejusdem rei definitiones: Et sub finem libri ejusdem dicit, ὄντων εἰσι τῆ αὐτῆ πλείους ὀρισμοί. Item 7. Topic. c. 3. affirmat: ἔτε ἓνα δυοῖν, ἔτε δύο τῆ αὐτῆ ὀρισμὸς δυωατὸν εἶναι. Ratio hujus assertionis extat lib. 6, Topic. c. 4. ἐκάσῳ γὰρ τῶν ὄντων ἐν εἰσι τὸ εἶναι ὅπερ εἶναι, i. uniuscujusq; rei una tantum est essentia, idcirco una tantum definitio, qua essentia explicatur. Idem affirmat Zabarella lib. 2. Post. cont. 21, unius rei unum tantum est proximum genus, & una ultima differentia. Proinde una natura & una definitio. Observandum autem est, verum hoc esse de definitione essentiali, non autem nominali. Unius enim rei plures quidem esse possunt ὀνομαστικαί, vel ἐνοσημαστικοὶ λόγοι definitiones imperfectæ, quæ rudibus satisfaciunt, quarum tamen una propius, quàm altera ad perfectionem essentialis definitionis accedit. De his scribit Galenus lib. 4. de differentijs pulsuum, citante Schegkio in Topicis, hunc in modum: In quibusdam rebus non duntaxat duas, sed etiam tres vel quatuor definitiones constituere satius est. Ac primùm quidem illam, quam veram esse intelligunt omnes, qui sermone eodem utuntur, & quæ nuda significatione declarat, quia vocabulo significatur, nullam partem essentia explicat. Deinde alteram quidem parumper à populari notitia declinantem, & nonnihil de essentia rei delibantem: Tertiam verò, quæ à populari notitia discedens propius jam ad essentia perfectam notitiam accedat: Quartam postremò, quæ tota essentia rei cognoscendæ explicatur, quæ nimirum sit & dicatur definitio ἐσιώδης.

III. QVÆSTIO.

Quale

Quale discrimen sit inter definitionem Dialecticam & Rhetoricam?

Omnia oratoria precepta ex fine, velut ex centro lineæ ad
ambitum fluunt, & inde necessitatem, dignitatem, utilitatem
fortiuntur, quin etiam τῆς τοῦ τέλεος ἀναφορῆς ea, quæ cum a-
liarum disciplinarum præceptionibus communiter habere viden-
tur, jure proprietatis & dominij sibi vendicant: sicut in scientijs,
à subjecto vel modo considerandi omnia, quæ sub earum θεωρίαις
cadunt, coarctantur & iisdem veluti mancipio dantur. Ideoque
cum finis Dialecticæ & Rhetoricæ sit diversus, forma quoque defi-
niendi variat.

Nam 1. Dialectica definitio constat ex proprijs & essentiali-
bus rei definitæ principijs: Rhetorica verò plerumque ex communi-
bus, & ijs quæ ad captum & opinionem imperitæ multitudinis
sunt accommodata. 2. Definitio Dialectica brevitatem secta-
tur, quia brevitatis cum perspicuitate conjuncta maximè est ac-
commodata ad cognoscendam rei definitæ essentialiam: Rhetorica
verò plerumque latissimè vagatur, varijs verborum pigmentis lu-
xuriat, multis verborum luminibus illustratur, ut rem defini-
tam quasi ob oculos statuatur. Hæc duo discrimina luculenter in-
nuit Aristoteles 1. Rhet. c. 10. δὲ ἰσοπέδη ἐν ἰσότητι εἶναι τὰς ὁρίσεις (sc.
ἐν ἰσοπέδη) ἂν ὡς περὶ ἐκείνων μὴτε ἀκριβέως, μὴτε ἀσφαιδῶς, .i. existi-
mare oportet eas definitiones in oratoria facultate satis idoneas,
quæ neque exquisitæ sunt, neque obscuræ, .i. quæ neque à vulgari sensu
& communi hominum opinione abhorrent, neque Dialecticam se-
quuntur subtilitatem & brevitatem.

IV. QUÆSTIO.

An ratio ordinandi disciplinas petenda
sit ab ipso rerum naturalium ordi-
ne, an à nostra meliore & faciliore
cognitione?

Ad

Ad prius quaesitum respondemus negativè; ad posterius affir-
mativè. Ad negationem verò prioris adducimur cum Zabarella,
vir rationum sequentiū. Prima ratio hæc est: Si ratio benè ac con-
venienter ordinandi disciplinas semper sumenda est ab ipso rerum
naturalium ordine, sequitur, quod nullus alius ordo sit doctrine
quàm compositivus: quia cum in omnibus simplicia & principia
sint naturâ priora compositis & effectis, necesse est, ut semper à sim-
plicibus inciperemus & ab ijs ad composita progredieremur in omni-
bus disciplinis. Sed hoc est à τὸ πρῶτον, & ab Aristotele, Galeno, atq;
à communi omnium consensu reprobatur. Galenus enim tres or-
dines statuit, compositivū, resolutivū, & definitivum. Aristoteles
verò non tantum facit mentionē ordinis cōpositivi in suis scriptis,
sed etiam resolutivi, ut lib. 7. Metaph. cont. 23. & lib. 1. Eth. c. 4.
lib. 7. c. 8. Qui tamen ordo, cum progrediatur à fine ad principia,
non sequitur naturalem rerum ordinem. Altera ratio est: Ab eo
quod multiplex est, non potest peti certa ratio ordinandi discipli-
nas: At verò ordo naturæ multiplex est: Ergo ab ordine naturæ
non potest peti certa ratio ordinandi disciplinas. Minor probatur:
quia ordo naturæ alius est generationis, alius intentionis, ut colli-
gitur ex cap. 1. lib. 2. de partibus animalium: E. g. Elementa sunt
priora mixto. Mixtum animali: animal homine, si consideres or-
dinem generationis naturæ: posteriora verò, si spectes ordinem in-
tentionis naturæ. Hujus enim respectu homo prior est animali:
animal mixto: mixtum elementis. Tertia ratio est: Ab eo ratio
ordinandi disciplinas sumenda est, cujus gratia illæ traduntur.
Atqui propter ordinē rerū naturalē disciplinae non traduntur. Er-
go ab eodem ratio ordinandi disciplinas non est sumenda. Minor
probat, quia propterea disciplinae traduntur, ut meliorem & fa-
ciliorem cognitionem rerum, quæ in natura sunt, nobis compare-
mus. Hinc Aristoteles multis in locis, neglecto naturæ ordine, ser-
vat ordinem nostræ melioris cognitionis, ut 2. de anima primo lo-
co agit de visu ob meliorem nostram cognitionem, ultimo vero loco
de tactu: cum tamen ordine naturæ tactus visum precedere de-
beat, tanquam omnium sensuum imperfectissimus. Similiter 1. de
histo-

*historia animalium cap. 6. & 2. de partibus animalium c. 10. prius
dicendum proponit de partibus hominis, quam de partibus aliorum
animalium: quia nobis, qui homines sumus, promptiores & noti-
ores sunt: ex quarum cognitione in naturam partium aliorum ani-
malium facilius pervenire licet. Manet igitur verum & firmum
posterius quaesitum, nempe rationem disponendi disciplinas à nostra
meliore & faciliore cognitione sumendam esse, idque ut planius eva-
dat, sic probamus. 1. Quodcumque est finis ultimus doctrinae, ab eo
sumenda est ratio ordinandi disciplinas: At qui nostra melior &
facilior cognitio est finis ultimus ordinis doctrinae: E. & c. Minor
probat ex definitione ordinis. 2. Quodcumque suppediat essentia-
les differentias ordini doctrinae, per quas in veras species divida-
tur, ab eo sumenda est ratio ordinandi disciplinas: At nostra me-
lior & facilior cognitio suppediat essentiales differentias ordini
doctrinae: Ergo, & c. Minorem in cursu disputationis prolixè pro-
babimus. 3. Quaecumque ordinis doctrinae ratio facit, ut mens in ea
quiescat, illa est vera & legitima: At ratio ordinis sumpta à nostra
meliore & faciliore cognitione facit, ut mens in ea acquiescat: Er-
go est vera & legitima: Major probatur ex Aristotele lib. 2. post:
ubi dicit, illam esse veram cujusque rei causam, quam habentes de-
finimus amplius querere, cur sit: contra verò illam non esse veram
cujusque rei causam quam habentes adhuc querimus, cur sit. Mi-
nor probatur, quia si ordo doctrinae sumatur à naturali rerum or-
dine, semper ulterius possum querere, cur e. g. in Physica natura-
lis rerum servetur ordo, donec tandem vera afferatur causa, nem-
pe ut perfectam rerum scientiam adipiscamur: in qua causa ani-
mus hominis quiescit. 4. Cujus gratia disciplinae traduntur, ab eo
sumenda est ratio ordinandi disciplinas: At nostra melioris & fa-
cilioris cognitionis gratia disciplinae traduntur: Ergo à nostra me-
liore & faciliore cognitione sumenda est ratio ordinandi discipli-
nas. His omnibus calculum addit Aristoteles multis in locis, pre-
sertim lib. 5. Met. c. 1. ubi enumerat varias significationes voca-
buli, principij, inquit, inter alias significationes: δεξιὸν εἶναι ὁδὸν
ἀν καὶ δεξιῶν ἐκείνων ἵπποιο οἶον ἔμαθησεν σὺν δὲ τῷ πρώτῳ τῆς τῆς*

B

περὶ

περὶ ἀρχῆς, ἀλλ' ὁ θεὸς πρῶτος ἀνὰ μᾶλλον, i. e. principium esse, unde unumquodque fieri solet: quemadmodum etiam doctrinae initium quandoque faciendum est non à primò & principio rei, sed unde facilius discamus. Idem testatur 1. Eth. c. 4. ubi agens de ordine quo tradenda est disciplina moralis, inquit, ἀρχῆς ἀπὸ τῶν ἡμετέρων γινώσκων, i. e. incipiendum est à nobis.

V. QUÆSTIO.

An unus sit artis & artificis finis atque in conjecturalibus ab officio distinguatur?

Inter artis & artificis, sive ut vulgò loquuntur, inter artis docentis & operantis finem est inanis & commentitia distinctio. Unde enim artifex nisi ab arte? unde artificis intentio, nisi ab arte? Nam cum artis præceptio semper eo progrediatur ordine, qui usus & exercitationis ordini contrarius, sicut inductione liquet omnium disciplinarum, quæ non in solâ theoria veritatis acquiescunt: necesse est, ut id, quod in Analytico præceptorum ordine primum in Synthetico geneseos ordine postremum quoque spectetur, & quod in hoc primum est, in illo sit ultimum. Iam verò in præceptis huiusmodi disciplinarum à notione finis ad investigationem principiorum, quæ discipulis non sunt cognita, fit progressio, ita fieri non potest, quin in usu quilibet operans à principiis discendo cognitis ad assecutionem ejusdem finis aspiret. Sed cur tamen finis assecutio neque semper, neque ubique succedat operantis conatui quaeritur? Cujus eadem potest dari ratio, quæ est cur Sagittarius in scopum sibi propositum attentè defixus, non tamen eum semper assequatur: quia nempe non tota vis agendi hinc in agentis consilio, sed simul in alijs externis etiam est posita. Quod exemplis, quæ sunt ὁμηροῦ τῶν λόγων, planum fieri potest. Medicus non solus efficit sanitatem, sed opus etiam hinc est auxilio nature, cuius ἰατρῆς atque administer ille dicitur:

Non est in medico semper relevetur ut ager,
Interdum doct' à plus valet arte malum.

Nec orator solus efficit, ut auditores persuadeantur sed eorum quoque

quog, forinsecus adest auxilium cogitantium ratiocinantiumque,
 quid agendum esse videatur, unde ipsorum κρίσις ἐνενα. Rhetorica
 comparata traditur: Aristoteles 2. Rhet. cap. 1. Idem de alijs
 sentiendum. Atque hac ἀεὶ ἡ Πιτυχία, hoc est anceps & in-
 certus eventus, qui non tam à materia mutabilitate (qua exitus
 certitudinem tollit) quam ab agentis impotentia proficiscitur, di-
 scrimen vulgatum peperit disciplinarum συχαστικῶν, ut & Gale-
 nus notavit ad Thrasyl. & non conjecturalium qua ἀναβῆς καὶ
 ἀ πείρα ab Aristotele dicta lib. 3. Ethic. cap. 3. finem semper as-
 sequuntur, cum in ijs tota vis agendi pendeat ab artificis consilio.
 Sic in Oecodonica patet, atq, alijs mechanicis artibus. Nec enim,
 ut Philosophus lib. 2. poster. tradidit, ab alio agente potest domus
 vel clavus fieri, quàm διὰ τῆς Δυνάμεως. Atque ut in non conjectu-
 ralibus operantis τελειότης ex certa fermè finis assecutione specta-
 tur, & à fine plerunque ejus dicitur operatio: contra artificis æ-
 stimatur perfectio in conjecturalibus, non tam ex assecutione fi-
 nis, quàm ex muneris functione, sicut & operatio non tam à fi-
 ne, quàm ab agente denominatur. Nam operatio medici non
 dicitur ὑγιαίνουσα sanatio, sed ἰατρικὴ ἰατρικὴ sive medicatio, ut 2. Quod do-
 cet Aristoteles. Et oratoris muneris functio non dicitur per-
 suasio, sed ῥητορικὴ, hoc est ad persuadendum accommodata di-
 ctio. Est enim in conjecturalibus semper inter officium & fi-
 nem distinctio, de quo locus est illustris non solum apud Cicero-
 nem lib. 1. de inventione, sed etiam apud Aristotelem lib. 1. Rhe-
 tor. & imprimis lib. 1. Topic. cap. 3. cujus hac sunt verba: ἔχομεν
 δὲ τελείως τὴν μέθοδον, ὅταν ὁμοίως ἔχωμεν ὡς περὶ ῥητορικῆς καὶ
 ἰατρικῆς καὶ τῶν τριῶν δυνάμεων τὸ δ' ἐστὶ τὸ ἐκ τῶν ἐνδεχο-
 μένων ποιεῖν ἢ παρασκευάζειν. Οὐτε γὰρ ὁ ῥητορικὸς ἐκ παντὸς
 τρόπου πείσει ἢ ὁ ἰατρὸς ὑγιάσει, ἀλλ' εἰ τῶν ἐνδεχομένων μη-
 δεν παραλείπει ἰκανῶς αὐτὸν ἔχειν τὴν ῥητορικὴν φήσομεν, habe-
 bimus autem perfectè hanc methodum cum ita habebimus, sicut
 in Rhetorica & Medicina & hujusmodi Facultatibus ac-
 cidit: hoc autem est ex possibilibus efficere, quæ praelegimus:

Neque enim orator ex omni modo persuadere, neque medicus sanabit, sed si nihil eorum quae adhiberi possunt, & debent, praetermittat, sufficienter eum habere scientiam dicemus.

QVAESTIO RHETORICA I.

An finis Rhetoricae persuadere?

Rhetorica non est scientia, si Philosophicam sectemur à *ἀρχαῖς*, sed una cum Dialectica *διωράμης* & *πρῶτος λόγους*, i. Rhet. c. 2. facultas parandarū rationū. Illius natura in uno certo proprioque fine velut in immota quadā rupe collocetur necesse est. Peculiaris verò illius finis, à quo constituitur, & ab alijs disciplinis discernitur, est persuadere. Quod ne quis hæreat, definimus efficaci quadam oratione auditorem vel ad agenda, quae sunt honesta, quae utilia, quae justa sunt, inflammare, & à contrarijs deterrere. Dicimus autem efficacem & nervosam, non tantum eam orationem, quae verborum ornamentis est vestita, & decente actione profertur, sed quae etiam instructa collocatione sententiarum, quae ad conciliandos animos, & permovendos, & ad ea probanda, quae populari trutina examinantur, unice valent. Sententiam autem nostram affirmantem, quod persuadere sit finis ultimus Rhetoricae, probamus sequentibus rationum momentis: Prima ratio sumitur à primorum inventorum consilio: Quodcumque primos artifices & Rhetoricae inventores impulit, ad investiganda media efficiendi orationem rebus & verbis politam, illud est finis ultimus Rhetoricae: Atque persuasio id fecit. E. II. Ratio sumitur à consensione omnium praeceptorum Rhetoricorum ad hunc finem conspirantium: Ad quodcumque ultimo omnia referuntur in Rhetorica illud est finis ultimus: Atque ad persuasionem omnia referuntur. Ergo persuasio finis ultimus. Minor probatur, quia inventio dispositio elocutio memoria & pronuntiatio imò tota oratio ad nihil aliud dirigitur, nisi ad persuadendum auditori. III. Ratio deducitur ab usu Rhetoricae: Quodcumque est instrumentum politici ad efficiendos bonos cives, illius finis ultimus est persuasio: At verò Rhetorica est instrumentum politici ad efficiendos bonos cives: Ergo illius finis ultimus est persuasio. Majoris ratio quia sine persuasione

suasionem ad virtutis studium cives non possunt impelli. Minorem
 probat Plato in Dialogo, qui Gorgias inscribitur, ferè sub finem
 ubi dicit: usum Rhetoricæ non alia ratione admittendum esse,
 quàm ut ejus beneficio ad colendam virtutem atque justitiam ci-
 ves inflammentur, & à vitiorum deformitate arceantur. Si enim
 Philosophi & alij quilibet artifices cum in disputationibus, tum
 scriptationibus ex Rhetoricis ad suum institutum quasi poliendum
 multa flosculorum sibi genera decerpunt asserimus, hoc ab ipsis
 fieri præter primorum Rhetoricæ Magistrorum consilium, &
 scopum. IV. Ratio petitur à natura Rhetoricæ: Quodcumq;
 essentiam Rhetoricæ constituit, & ab omnibus alijs disciplinis es-
 sentialiter discernit, illud est finis ultimus Rhetoricæ: Atqui per-
 suasio id facit. E. Majoris ratio est, quia omnis disciplinæ opera-
 tricis natura à fine suo ultimo constituitur. Minorem probo ex
 definitione Rhetoricæ ab Aristotele tradita 1. Rhet. c. 2. quod sit
 δύναμις πειθῆσαι τὰ δεχόμενα πείθειν. V. Ratio est
 ex autoritate Platonis, Aristotelis, Ciceronis (nam cum Pindaro
 μήτιν γὰρ ὡς ἴων παλαίωνων) Plato sub persona Socratis, ut omnes
 ejus norunt lectores, concedit Gorgiæ, Rhetoricam esse πειθῆσαι δη-
 μιουργὸν persuasionis opificem, non tamen διδασκαλικῆς, sed πειθ-
 υλικῆς, & addit; ἢ ἡ πειθαγωγία αὐτῆς ἀπασί κ' τὸ κεφάλαιον εἰς τὸ
 πείθειν, hoc est omnis ipsius opera & universi muneris caput ad
 illum finem referatur. Aristoteles lib. 3. Rhet. c. 3. expressè finem
 Rhetoricæ vocat persuasionem, sicut artis medicæ sanitatem. Item
 Cic. lib. 1. de inventionem expressè inquit: finis oratoricæ facultatis
 est persuadere dictione; sicut medici finis est curatione sanare.
 Ceterum quæ negativā tuentur sententiā, & dicunt, finem Rhetoricæ
 ultimum esse bene dicere, hoc potissimum moventur argumento:
 Quodcumq; non semper orator potest consequi, id non est finis ul-
 timus Rhetoricæ: Atqui persuasionem non semper orator potest
 consequi: Ergo persuasio non est ultimus finis Rhetoricæ. Majoris
 ratio est, quia finis disciplinæ (ut inquit Quintilianus) non est in-
 eventum ponendus, sed semper præstari debet & potest. Minorem
 comprobatur quotidiana experientia. Nam e. g. concionator non

semper potest auditoribus persuadere, ut relicta improba vivendi ratione pietatem colant.

Huic respondeo per inficiationem majoris: Nam si concederetur, tunc sequeretur, non esse finem ultimum artis medica sanitatem, artis militaris victoriam, Iurisprudentiae justitiam. At hoc contra naturam harum disciplinarum & communem experientiam. Medicus enim quicquid agit, id agit propter sanitatem vel conservandam in corpore humano vel restituendam, si est amissa. Similiter dux belli cum toto suo exercitu quicquid agit, id propter victoriam consequendam agit. Ita jus universum, & pragmaticorum, qui jure non abutuntur, oculus ad justiciam, velut ad Cynosuram nautarum convertitur, cum in advocacionibus, tum in omni consultandi ratione, nec tamen ille finis semper attingitur. Hinc vulgo dicitur, omnem litis eventum esse dubium & saepe optimè cogitata pessimè cadere. Ita neque, aut medicus aut imperator semper hunc finem potest consequi, propter varia impedimenta, quae illis inter agendum obijciuntur, ut supra quaest. 5. de hac re copiosius & exactius fuit tractatum. Praeterea discernendum inter finem & assecutionem finis: Finis in omnibus artibus semper est certus, & adhuc omnia dirigi solent, sed assecutio finis est incerta & in eventum posita. Sic in Rhetorica persuasio est certa: quia semper ad hanc orator collineat: Sed assecutio persuasionis est incerta propter improbitatem auditorum qui vel ab oratore animum habent alienum, vel propter perversum iudicium, & anticipatas pravas opiniones nolunt admittere rationes ab oratore allatas. Manet igitur, quod benè dicere, non sit finis ultimus Rhetorica tum, quia ad aliud refertur, nempe ad persuasionem, tum quia est officium Oratoris, sicut expresse docet Cicero lib. 1. ad Herennium, ubi inquit: Oratoris officium est de his posse dicere, quae res ad usum civilem moribus ac legibus constituta sunt cum asserzione auditorum quo ad ejus fieri potest. Item lib. 1. de inventione: Officium oratoriae facultatis est dicere appositè ad dicendum, sicut medici officium est curare appositè ad sanandum. Et Aristoteles distinguens

guens finem hujus disciplinae ab officio docet: ἡ τὸ πρῶτον ἔργον αὐ-
τῆς εἶναι, ἀλλὰ τὸ ἰδεῖν τὰ ὑπὸ ἀρχόντων πρῶτα πρὸς ἑκάστου καὶ δεύτερον
καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις τέχναις πάλαι εἶδεν ὅτι ἰατρικῆς τὸ ὑγιᾶ ποιῆσαι
ἀλλὰ μέγιστος ἡ ἐπιδέχεται μέγιστος τὰς παραγωγὰς. 1. Rhet. c. 1.

QVÆSTIO RHETORICA II.

An inventio Rhetoricæ sit necessaria, & essentialis?

Ramus, ejusque sectatores omnibus viribus conantur probare,
solam actionem & elocutionem pertinere ad Rhetoricam, in-
ventionem verò & reliquas vis partes oratoriae facultatis ex fini-
bus Rhetoricæ omninò excludendas & postliminiò restituendas ijs
disciplinis ad quas propriè pertinent.

Rationes quibus probant de inventionem nihil esse tradendum
in Rhetoricis, hæ sunt: Quodcunque pertinet ad Logicam, id
non tradendum est in Rhetoricæ, quia aliàs fit confusio disciplina-
rum. Atqui doctrina de inventionem pertinet ad Logicam: Ergo
non est in Rhetoricæ tradenda. Minor probatur, quia inventio
est opus rationis, quam Logica informat.

2. Si inventio etiam pertinet ad Rhetoricam, sequitur, Rheto-
ricam non solum orationem, sed & rationem informare: Nos ve-
rò statuimus cum Aristotele, Cicerone, si modò aliquid saltem au-
toritatis hisce scriptoribus vetustis & serie multorum jam seculo-
rum probatis tribuendum, inventionem Rhetoricæ omninò neces-
sariam esse atq; essentialē, idq; probamus sequentibus rationibus:

I. Sine quo Rhetoricæ orationem efficere non potest, id ei est ne-
cessarium: Atqui sine inventionem Rhetoricæ non potest orationem
efficere: Ergo inventio Rhetoricæ est necessaria. Minor probatur:
quia ad efficiendam orationem res requiruntur: illarum autem
copia sine inventionem non potest ab oratore acquiri.

II. Quodcunq; ingreditur definitionem Rhetoricæ, id ei est essen-
tiale, At inventio ingreditur definitionem Rhetoricæ: Ergo ei est
essentialis. Minor probatur, quia Rhetoricæ definitur; quod sit fa-
cultas in unaquaq; re videndi, quid sit ad persuadendum accom-
modatum, iam verò inventio etiam rerum est ad persuadendum
accommodatarum: Ergo etiam ejus curam habere debet orator.

iam

Iam pro solutione argumentorum Ramcorum respondeo ad primum per inficiationem maioris: quia una & eadem res potest in diversis disciplinis diversimodè considerari. E. g. Logica & Metaphysica considerant omnes res: illa effectiois gratia: hæc cognitionis. Similiter Ethica, Rhetorica, Physica considerant affectus, sed diverso fine: Ethica quatenus in gyrum rectæ rationis ducendi sunt pro consequenda felicitate: Rhetorica eosdem considerat, quatenus eorum concitatio apta est ad persuadendum auditori: Physica eosdem considerat cognitionis gratia. Eodem modo inventio etiam tractatur & in Logica & in Rhetorica. In Logica cognitionis veri causa. In Rhetorica persuasio- nis causa. Nihil dicam in specie de diversitate $\mu\epsilon\tau\omega\nu$ & ratione argumentandi, de quibus ipsa $\sigma\upsilon\lambda\lambda\eta\mu\alpha\tau\iota\varsigma$ pluribus aget.

Ad alterum respondeo, nullam esse absurditatem, etiamsi dicatur, Rhetoricam non solum orationem sed etiam rationem informare, addito hoc $\alpha\epsilon\sigma\theta\iota\omicron\gamma\iota\sigma\mu\omega$, ut $\pi\epsilon\omega\tau\omega\varsigma$ orationem informet, $\delta\delta\omega\tau\epsilon\gamma\omega\varsigma$ rationem. Nam Aristoteles quandoque etiam Rhetoricam appellat $\rho\omicron\phi\omicron\rho\lambda\iota\eta\gamma\eta\ \delta\upsilon\sigma\iota\omega\mu\alpha$: quandoque $\pi\alpha\rho\alpha\phi\epsilon\varsigma\ \tau\eta\varsigma\ \Delta\epsilon\lambda\epsilon\lambda\iota\chi\eta\varsigma$, 1. Rhet. c. 2. ut innuat ipsam etiam aliquo modo rationem informare in inveniendis argumentis ad persuadendum idoneis. Atque hæc pro exegemate propositarum questionum dixisse sufficiat.



Fc 1249.
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden

nach Ausleihe


an Retro-Ecke

OK

Zurück!

VD 17







VH.



T N O E Ñ
SPVTATIO
e exegemate

STIONUM

OT NOBILIVM

m & Rhetoricarum

llegij Philosophici publice propo-

ntium censura atque iudicio

illustri U Wittebergen-

um Academiâ

RÆSIDE

REA TIMPLERO

acult. Philos. adjuncto,

Respondente

FESCA PVLSNI

co, Stipend. Electorali.

Maij in Auditorio minore,

is à 6. matutinis.

TEBERGÆ

ianis, per Iohan. Gorman.

no 1608.



39